Fragmentarium

archa nostre occasione cuiusdam constitutionis quam episcopus tunc legatus in partibus Romanie super legatis edidit defunctorum. et dist. sic. j. ff. sancte praxedis presbiter cardinalis. dum ibidem legationis fungeretur officio innotuit de quibusdam que nobis et ecclesiis nostris legantur a decedentibus tertiam a nobis exigit portionem. Cum igitur ipsi sicut ex eorum interpretatione accepimus non intellexit quod de hiis que in ornamentis ecclesiasticis vel ad fabricam ecclesie reparatione indigentis. quod ad ecclesie luminaria nec ideo et de hiis que pro anniversario. septimo. vicesimo. ac tricesimo facientis vel de hiisdem personis specialiter nisi forsan id fiat ecclesie ratione a quoque legantur aliqua debet solum portio ecclesie cathedralis. Nos interpretationem eorum ratam habentes secundum ipsam constitutionem prefatam precipimus observari firmiter inhibentes ne in predictis aliquid fraudulenter in preiudicium cathedralis ecclesie procuretur. Idem episcopo Tullensi.

[V]a nobis frater intimavit quod cum tibi pro relevatione honeris debitorum duximus indulgendum ut fructus beneficiorum que iterum in diocesi tua vacare contigerit tibi liceat biennio retinere. quidam apostolice gratie premissum sinistra interpretatione restringere volentes asserunt prebendas et maiora beneficia nequaquam beneficiorum nomine contineri et c. Nos igitur ante. pre. declaramus quod in hoc casu prebende ac alia beneficia generali beneficiorum nomine continentur. Gregorius. ix. decano et sacriste engolis.

[T]ransmisse littere continebant quod significantibus episcopo et capitulo Tarentin. quod quadragenarius canonicorum numerus institutus in eorum ecclesia non poterat observari. pro eo quod non sufficiebant ecclesie facultates nobis dedimus in mandatis ut canonicorum et prebendarum numerum iuxta facultates ecclesie moderantes statueritis eundem firmiter observari. Vos vero invenistis predicte facultates ecclesie a tempore statuti numeri adeo excrevisse quod absque mutilatione prebendarum maior fieri posset numerus in eadem quare quesistis an per moderationis numerum litteris nostris appositum eundem numerum augmentare vel minuere debeatis. Quo circa mandamus quatenus si veteres non fuerint minute prebende cum moderationi locum non habeat ipsarum et canonicorum numerum dimittatis in eodem statu in quo hactenus dignoscitur extitisse in utilitatem eiusdem ecclesie converteretis augmentum suorum reddituum donec duxerimus aliter disponendum. Idem [illegible].

De regulis iuris.

[O]mnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur. Beda in omelia.

[E]store mulieres et c. In hoc loco nihil aliud nobis precipi estimo nisi ut ea facta que dubium est quo animo fiant in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est. ex fructibus eorum cognoscetis eos. de manifestis dictum est. que non possunt bono animo fieri. ut sunt stupra. blasphemie. furta. ebrietates. et similia de quibus nobis permittitur iudicare. Idem.

[Q]ui scandalizaverit et c. Utilius scandalum nasci permittitur quam veritas relinquatur. Idem super Marcum.

[Q]uod non est licitum in lege necessitas licitum facit. Nam et sabbatum custodiri preceptum est. Machabei tamen sine culpa in sabbato pugnant sic. et hodie si quis ieiunium fregit egrotus reus non habetur. Gregorius. ix.

[Q]uod latenter aut per vim vel alias illicite introductum est nulla debet stabilitate subsistere. Idem Navarren. episcopo.

[C]um in contemplatione et c. In ipso canonis initio non est ab omnibus inchoandum. Stephanus(?) iiii.

[Q]ue insocient(?) et c. Quicquid in sacratis deo rebus et episcopis iniuste agitur pro sacrilegio reputatur. quia sacra sunt et a quoquam violari non debent.

ARCHIVUM SEM. EPISC. GAND. AV.

License: cc-by-nc-sa – Gent, Bisschoppelijk Archief Gent, fragment nr. 18, fol. [2]r – Gregorius IX, <i>Decretales</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-405x/9726/70919)